



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

7. Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## QVÆSTIO VII.

*Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis  
hoc sacramentum ministrare?*

*Quæstionis explicatio.*

**H**Actenus ostendimus, qui possint & teneantur hoc sacramentum tempore contagioso ministrare: sequitur ordine, vt dicamus de iis, quibus debet vel non debet administrari.

*Responsio.*

**T**enentur pastores, quantum in ipsis est, curare, vt omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrent: sunt tamen casus plures, quibus ab illius administratione excusantur. Vtrumque certum est, vt patet ex prima quæstione, nequid frustra repetatur.

Dices: Plerique omnes peste infecti incapaces sunt huius sacramenti, siquidem ii laborare solent, tum animi, tum corporis symptomatibus, vt probationem & reuerentiã, quam habere necessum est ad hoc sacramentum recipiendum, adferre non possint, vt superius insinuauimus.

R. Idcirco nos dixisse, quantum in ipsis est allaborare debere pastores, vt omnibus ministrent: Sed de his in sequentibus aliquid particulatim dicendum est.

QVÆ